


NUMMUS TRIUMPHALIS

MAXIMILIANI IMPERATORIS,

CUSUS POST PUGNAM MEMORABILEM, AD REGINOBURGUM cum Boemis commissam: & expugnatam arcem Geroltzeckianam

Anno Christi 1504.



Urante bello, de quo modo verba facta, Bavarico, cum Rupertus Alberto viribus impar esset, Boemorum non parvam manum conduxit. Eos propè Reginoburgum excepit Maximilianus Cæsar: animo ferens indignissimo Boëmos in Germaniam adduci. Aderant illi Albertus Bavarus, Fredericus Brandenburgicus, cum Casimiro & Georgio filiis: quorum utrumque Cæsar militari dignitate, sub pugnae tempus insignierat. Boëmis se cum suis conjunxerat Rupertus. Utrisque pugnae cupidis acerrimè pugnatum est, & Rupertus egregiè inter primos se gessit, nutantem aliquoties aciem instaurans, neque ullam de se timoris significationem præbens, quoad consistere suos vidisset. Cæsar verò suos, & verbis & exemplo cohortatus, in densissimam hostium agmen inVectus, vitæ periculum adiit, ex quo suorum tamen virtute ereptus, hosti pertinacius resistenti, victoriam extorsit. Boemorum multi in prælio, nonnulli in fuga cæsi: reliqui domum, qua venerant, per saltus rediëre. Post hoc prælium, multa passim loca ultro deditiorem fecêre. Est ad Oeni ripam in Tirolensis agri & Baviaræ confiniis Kufftemium oppidum, quod arcem habet, ex solida rupe excisam: quæ in montis prærupta crepidine collocata, oppido superimminet, unam tantum, quâ adiri potest, semitam præbens: ingenio loci & opere munitissima, Geroltzeckum appellata. Hanc per id tempus cum præsidio tenebat Joannes Bentzenaverus, domi nobilis, & rei militaris peritiâ insignis: qui Palatinorum partes secutus, fiduciaque loci elatus, insolenter admodum segebat. Cæsar eò profectus arcem cum oppido sibi tradi postulat, vitam ac veniam præfecto, eiusque militibus promittens. Id cum impetrari non posset, oppugnationem, etsi difficilem aggressus, crebris tormentorum ictibus